

**05**

**A**

**1649**









COLLEGII MORALIS  
EXERCITATIO XI.

De  
JUSTITIA UNIVERSALI  
ET PARTICULARI,

QUAM

PRÆSENTE ET ASSISTENTE  
DEO solo & optimo Justitiæ fonte  
*in famosissimâ Academiâ Wittebergensi,*

Sub

PRÆSIDIO

*Viri Clariss. & Eruditiss.*

DN. M. MATTHÆI Grosseri

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncti  
dignissimi, Fautoris sui summis honori-  
bus prosequendi,

*Academici exercitiij gratiâ venti-  
landam presentat*

DANIEL Kilmann Frawenst-Misn.

*Ad diem 1. April. horis à 7. matut.*

In Acroaterio consueto.



WITTEBERGÆ,

Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno MDCCXXX.





05 A 1649







# Prooemium.



Uam PRECIOSA AC NECESSARIA RES sit JUSTITIA, non solum ex Ethnicis, verum etiam sacris scriptis liquido apparet, & probari potest. Ex Ethnicis refert *M. Anton. Muret. Or. 9. part. 1.*

*Justitiae laus.*

Polum *Lucanum Philosophum Nobiliss.* de Justitia ita scripsisse: *Justitia ceterarum virtutum omnium parens & alrix vocanda mihi videtur: neq; sine ea fieri potest, ut quisquam aut temperans sit, aut fortis, aut prudens; quo cum recte consentit Cicero lib. 2. Off. cum inquit: Justitia sine prudentia plurimum poterit, sine Justitia nihil valebit prudentia.* In sacris vero passim invenitur & legitur: *Qui Justitiam exercet, habebit & temporalis & aeterna vita longevitatem.* Huc referenda etiam essent hac de re egregia piorum *Patrum*, aliorumq; Christianorum hominum testimonia, sed omnium instar esto illud, quod sacratissimus Princeps *D. Justinianus* nobis reliquit in *Nov. 69.* in prooemio, ita dicens: *Unam quidem esse omnium perfectissimam virtutem arbitrandum est hominibus, quae jura omnibus distribuit: haec est ex causa cognominata Justitia: Etenim unamquamq; aliarum virtutum, nisi subsequantur hujus bona, fieri nihil horum quae competunt: itaq; nec fortitudinem, quae non est cum Justitia, laudabimus &c.* Praeterea illud cognosci potest, si aliquantum attentius oppositum ejus, Injustitiam scil. contemplemur. Quid enim Injustitia sit, quam odiosa,





quàm abhorrens à naturâ & communi hominum so-  
cietate, etiam tam sacrarum, quam Ethnicarum re-  
rum monumenta testantur. Et *Plato* quidem Ethni-  
cus, minime tamen ethnicè, & tantum non Christia-  
nè hunc in modum scriptum reliquit: *Injusti etiam  
in maximis prosperitatibus secundissimisq; rebus sunt in-  
felicissimi: & Demosth. Non est apud istos, quorum stu-  
dia, cogitationes deniq; omnes ad immodicam habendi  
cupiditatem referuntur, quicquam vel firmi vel sancti.*  
Ex sacris vero id probat textus Sap. cap. 6. v. 1. Hinc  
quoque J. Cti Injustitiam ut rem detestabilem plane  
proscribunt, & è civitatibus expellere allaborant;  
Scribit enim de eâ M. Anton. Mur: Quis est omnium,  
qui eum, quem injustum esse opinetur, aditu, con-  
gressione, sermone dignum judicet? quin eum quasi  
maleficum aliquod & noxium animal refugiat, aver-  
setur, odio habeat? quin ejus concursum durum sibi  
ac tetrum atque ominosum putet? Quum itaque tam  
turpis tam odiosa res sit Injustitia, quis adeò stolidâ  
inveniretur mente præditus, ut mallet Injustitiæ  
quam Justitiæ esse comes: quis ita perverso ducere-  
tur animi judicio, ut magis vitium quam virtutem  
amplexetur? Quicumq; enim Justitiâ, excellentis-  
simam illam virtutem colit & sectatur, etiam si omnes  
fortunæ acerbitates experiatur, semper tamen est  
beatus: contra verò, qui injustitiam, in secundissi-  
mis etiam est infelicissimus. Quapropter, cum nobis  
*Thema:* DE JUSTITIA JAM DISSERERE propositum est,  
& etiam ordo hujus nostri Collegii sic postulat, hisce  
præmissis statim nos ad rem ipsam accingamus, ante-  
quam autem portum relinquamus, Te, o omnipo-  
tens Deus, imploratum volumus, ut tuo S. S. Verbo  
&



& Spiritu præfens esse, & nos in omnem veritatem ducere velis. Hisce ita à Deo ter Opt. ter Max. imperatis, Esto

## MEMBRUM I.

Όνοματολογία.

### Thesis I.

**A** B his, à quibus ut initium faciamus, nostra methodus suadet, ordimur, nimirum à nominalibus, ubi primum sese offert *vocabuli derivatio*, sive *ετυμολογία*, deinde *ambiguitas*, sive *ὁμωνυμία*, & deniq; *equivocatio*, seu *συνωνυμία*.

Nomina-  
lia.

II. Quod DERIVATIONEM vocis spectat, variè à variis autoribus derivari solet: Quidam enim Justitiam quasi, *visitiam*, eò quod vim sistat, dictam censent, Alciat. Parer. lib. I. c. 20. sed magis subtiliter quam verè; uti loquitur Rever. admodum. Dn. D. Jac. Mart. Hotoman. in Instit. I. putat ab eo dictam, quòd in ea jus sistatur, ex Isidoro cap. foris. de V. S. qui vult, Justitiam esse quasi *juris statum*, quòd in eà jus stet ac consistat. Alii à *justo* *Justitiam* deducunt, veluti est *malitia à malo*, Alii contrà *justum à Justitia*.

Derivatio.

III. Verum enimverò, si posteriores duas respiciamus derivationes, utramq; posse subsistere, nemo negabit; duplex enim datur *vocum derivatio*: alia *vocum, ut vocum*, quæ Grammatica vocari solet: alia *vocum respectu rerum significatarum*, quæ Logica.

IV. Si itaque *vocum ut vocum*, sive Grammaticam deductionem spectes, illam ubi *Justitia à justo* deducitur, veram esse nemo hominum dubitabit: Si verò *Logicam*, illa negatur, & hæc ubi à *Justitia justum*, quippe concretum ab abstracto originem ducit, vera remanet.

Verè.

V. Etymologiã ita aliquantum perpensã ad HOMONYMIAM, quæ multorum errorum causa est, veluti tritus versiculus habet:

Homonymia.

Errorum genitrix est æquivocatio semper.

A 3

pro-



progredimur. Accipitur autem *Justitia* vocabulum vario modo: interdum enim sumitur 1. abusive, pro *apparentia aliqua justitiae in brutis*: sic Delphini dicuntur *Justi*, quod partes piscium venatione captas ita inter se partiantur, ut ei, qui capturae autor fuit majorem partem relinquunt, *Ælian. lib. 2. de Animal. cap. 8. & idem lib. 5. cap. 39. meminit Justitiæ Leonis. 2. Pro innocentia & immunitate à culpa*: Sic Deus & boni Angeli dicuntur *justi*, quia vacant omni culpa. 3. Pro officio defunctus exhibito: sic cum Cicero dicit: *Justa solvere*, significat exequias ire. 4. Pro *quavis equali distributione*. Sic Cicero lib. 2. *Off. Justitiam* vocat, quando prædones bona rapta distribuentes servant æqualitatem. 5. Theologicè, pro *Evangelica Justitia, & remissione peccatorum*, de quâ profundum apud Philosophos silentium. 6. Politicè pro *obedientia legali*: Sic *Civis justus* est, qui vivit & agit juxta leges civiles: Hæc tamen nondum est verè ethica, quia etiam in vitiosis esse potest. Deniq; 7. sumitur pro *habitu juste agendi*, quo quis promptè & semper facit ea, quæ *justa, honesta & recta* sunt, adeoq; vivit, ut *justus ubiq; sit & appareat*, & sic quoq; hoc in loco accipitur.

*Synonyma.*

VI. Ad SYNONYMA nunc pervenimus, quorum tamen, teste D. Jac. Mart. nulla dantur, nisi ex aliis linguis apponantur voces *ισοδυναμῶσαι*. Græcis notabiliter dicitur *δικαιοσύνη* & concretum pro abstracto usurpando: *δικαιον*, quod apud Græcos usitatissimum est. Germanis: *Berechtigkeit*.

VII. Nonnulli *Æquitatem* *Justitiæ* *Synonymum* esse volunt, inter quos est Joh. Cas. lib. 5. *Spec. Mor. quæst. cap. 1.* qui, Aristotelem eam etiam sæpius pro *Justitia*, eò quod sit habitus bonus, quo quis neque plus neque minus aut accipiat aut tribuat, quam oportet, usurpasse, asserit: tamen hoc non ita simpliciter concedi potest: Equidem, si vocabulum *æquitatis* latè sumatur, ipsi affirmamus: si verò strictè, prorsus negamus: siquidem aliter consideratur vir *æquus*, aliter vir *Justus*: *æquus* interdum de jure suo nonnihil remittit: *Justus* vero jus suum simpliciter urget.

MEM-



## MEMBRUM II.

*Πραγματολογία:*

VIII. Haecenus ea, quæ ad *definitum* & nominis intellectum faciebant, recensuimus, necesse nunc est, ut ipsam DEFINITIONEM accedamus, quippe sine qua res ipsa intelligi nequit. Definitur autem tali modo: JUSTITIA EST HABITUS, QUO HOMINES IDONEI SUNT, AD AGENDUM EA, QUÆ JUSTA SUNT, EADEMQUE AGUNT ET VOLUNT. *Jcti sic finire solent: Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuiq; tribuendi:* quæ definitio, licet multis incongrua videatur, & ea propter hostiliter quasi impugnetur, tamen si voces rectè perpendantur, defendi, & cum hac Aristotelicâ optime conciliari potest.

*Definitio.*

IX. Retinemus autem hîc nostram Aristotelicam, non quod *melior sit*, sed quod *apertioribus verbis constet*, & resolvimus eam in *subjectum* seu DEFINITUM, & *prædicatum* seu ipsam definitionem, de definito supra in I. Membro egimus, DEFINITIO sub se continet, *Genus & Differentiam.*

X. GENUS est *Habitus*; qui hominem promptum facit ad actiones justas exercendas, non enim quælibet actio hominem justum reddere potest, sed accedere etiam debet habitus, qui hominem ita perficiat, ut semper ea, quæ justa sunt, agat. Nullo igitur modo in dubium vocari poterit, quin hoc *genus Justitia* rectè tribuatur, cum habitus definitio ipsi conveniat, quod scilicet crebrâ exercitatione acquiratur. Non etiam propterea, quod *genus hoc* videatur nimis remotum, & potius vocabulum *virtutis* in ejus locum substituendum. Cum enim ita latissimè accepta Justitia, quemadmodum hic definitur, omnes virtutes sub se complectatur, iisque nec latior sit nec angustior, genus autem semper latius esse debeat, liquido constat, *virtutem non esse posse genus Justitia.*

*Genus.*

XI. DIFFERENTIA est triplex. 1. *Facultatis*, quod homines habeant vim ac facultatem justa agendi. 2. *Actionis*, non enim sufficit facultas & aptitudo justa agendi, sed debet etiam adesse actio, quia omnis virtutis laus in actione consistit; Cic. l. i. Off.

*Differentia.*

3. *Vo-*



3. *Voluntatis*, dicitur enim in definitione: eadem volunt, & præter-  
eà in omni actione virtutis voluntas, quæ *ἀρετῆς* appellatur  
apprime est necessaria. 2. Nicomach. cap. 4. & 6.

*Divisio.*

*Justitia U-*  
*iversalis,*

XII. DIVIDITUR Justitia in UNIVERSALEM &  
particularem: JUSTITIA UNIVERSALIS EST OBE-  
DIENTIA ERGA OMNES LEGES IN STUDIO  
ET ACTIONIBUS SINGULARUM VIRTUTUM  
POSITA, INQUE UTILITATIS PUBL. PROMO-  
TIONEM ET SOCIETATIS CONSERVATIO-  
NEM DIRECTA. Per leges autem hic intelligimus eas, quæ  
rectam rationem pro fundamento habent, quæ in bene constitu-  
tâ Repub. nihil aliud sunt, quam virtutes armatæ.

XIII. *Justitia PARTICULARIS EST virtus, quæ in ex-*  
*ternis rebus eam servat æqualitatem, quâ unicuiq; id tribuitur, quod ei de-*  
*betur: Et hæc iterum DUPLEX est: Alia est Justitia distributiva,*  
*alia commutativa.*

XIV. *Justitia DISTRIBUTIVA est virtus, quæ in distribu-*  
*tione malorum & bonorum observat personarum dignitatem, & rerum æ-*  
*qualitatem secundum proportionem GEOMETRICAM, quæ rur-*  
*sus subdividitur in remunerativam quæ circa præmia distribuenda,*  
*& punitivam quæ circa pœnas versatur.*

XV. *Justitia COMMUTATIVA est virtus in contractibus*  
*& rerum permutatione, nullo habito respectu personarum, æqualitatem,*  
*sive proportionem Arithmeticam servans, ut unusquisq; suum consequatur,*  
*& nulla pars defraudetur.*

*Cause Ex-*  
*terna.*

*Efficiens.*

XVI. Explicata ita definitione & divisione, ad CAUSA-  
RUM seriem accessum facimus, ubi primum externas perpen-  
dentes, quia verò EFFICIENS, quæ priorem locum in his sibi  
vendicat, jam ante satis ex generali virtutum doctrina innotuit,  
deliberatò hic iterum eam recensere supersedemus, ad disputa-  
tionem quartam lectorem remittentes.

XVII. FINIS Justitiæ est ut cuiq; quod ipsi debetur, tribuatur,  
ut honestè vivat is, qui eà est præditus, secundum virtutes, qui fi-  
nis fit proprius *Justitiæ Universalis*. Si nimirum actiones secundum  
omnes virtutes ad communem usum seu proximi commodum  
diriguntur.

XVIII.



XVIII. *Causarum INTERNARUM prior est MATERIA, quæ vel in qua, seu Subjectum, vel circa quam, seu objectum. SUBJECTUM vel est quod, ut homo, vel quo, ut voluntas.* *Interne Materia in qua.*

XIX. *OBJECTUM vel est UNIVERSALE, & ita proprium justitiæ universalis, quod adæquatum est objecto omnium virtutum & legum, vel PARTICULARE, quod iterum respicit vel justitiæ distributivam, ut: honores, dignitates, præmia, poenæ, supplicia, &c. item personæ, quibus hæc tribuenda: vel commutativam, ut res & bona, quatenus veniunt in commercium, & contractus circa ea sunt occupati: item contractus ipsi, & commutationes, quæ dividuntur in voluntarias & non voluntarias.* *Circa quam.*

XX. *FORMA denique Justitiæ, & quidem UNIVERSALIS est ipsa obedientia erga omnes leges & actionum omnium ad eas conformatio. Particularis & in specie, distributiva est ad tribuere cuiq; quod suum est secundum proportionem Geometricam. Hujus natura hæc est, ut dignitatum personarum, & æqualitatis rerum rationem habeat, & qualitates potius quam quantitates consideret. Cujus OPERATIONES pro diversitate objecti diversæ quoq; sunt; aliter quippe se gerit erga superiorem, aliter erga parem. Erga superiorem, dignitate scil. (quia vel dignitate, vel beneficiis talis est) ita, ut primo debitam subjectionem: deinde honorem: tertio ministerium & obsequium: quarto debitam ac fidelem officiorum præstationem ipsi exhibeat, quæ virtus conjunctim *ἡρεσπεια* vocatur. Erga superiorem beneficium, ut gratitudinem ipsi itidem exhibeat, quæ in his quatuor consistit partibus, 1. In beneficii accepti agnitione, 2. ejusdem memoria, 3. in agniti memoriaq; conservati contestatione, 4. In justâ si licet compensatione. Erga parem, ut dotes ac virtutes ejus agnoscat, & propter illas condigno ipsum honore prosequatur.* *Forma.*

XXI. *COMMUTATIVÆ Justitiæ forma est ad tribuere cuiq; quod suum est secundum proportionem Arithmeticam, cujus vis maximè in eo sita est, quod non habeat rationem, nec respectum ullum personarum contrahentium, sed rerum solùm de quibus contractus ineuntur. Ut autem hæc proportio rite observetur,*

C

duo



duo attendenda sunt; *Modus* nimirum & *Media*. MODUS consistit in collatione rerum commutandarum, & inquit in rei præstantiam & excellentiam, quatenus propter eam aliis rebus vel præferenda vel minoris æstimanda sit. MEDIUM est mensura & instrumentum, per quod rerum præcia æstimantur, quod est vel à natura, ut indigentia, quæ efficit, ut res, quibus magis indigemus majori æstimemus precio, quàm eas quibus minus: vel ab instituto hominum, ut nummus seu pecunia.

*Extrema.*

XXII. EXTREMUM Justitiæ in genere est *injustitia* tam in excessu, quæ nimii, quam defectu, quæ nimis parvi vulgò dicitur, quæ est vitium abhorrens ab omni actione justâ & honestâ. Et quamvis pessimi quique nonnunquam actiones videantur edere virtuosius similimas, tamen quia causa efficiens ejusmodi actionum non dependet à principio justo & honesto, nimirum voluntate justitiæ habitu imbuta, nec effectus ejusmodi erit censendus, cum is regulariter non excedat virtutem suæ causæ; Illa igitur actio pro fortuitâ, & quæ ab alio externo videlicet dependeat principio, erit judicanda: libere enim agens injustus non nisi injusta peragit.

XXIII. UNIVERSALI eadem ratione utrinque OPPONITUR *ἀνεργονία*, quod vitium omnes leges & virtutes susque deque habet. Particulari Justitiæ & i. quidem DISTRIBUTIVÆ itidem tam in excessu, quàm defectu opponitur *injustitia*, quæ æquitatem ita violat, ut huic plus, illi minus justo tribuat; cui respectu *remunerative* præcipuè opponitur *ἀρεσσωποληψία*, quæ externas qualitates personarum, quæ ad rem, propter quam præmia huic vel illi sunt distribuenda, nihil pertinent, respicit & attendit, & propter illas præmia ista aut dignis aufert, aut indignis tribuit: Respectu *punitivæ*, nimia & aspera severitas, item eadem ratione, poenarum tamen intuitu *ἀρεσσωποληψία*. Si ad officia hujus virtutis respicimus, quomodo nimirum erga superiores se gerere debeat, eatenus opponitur ei *ἀσεβεία*, quod est vitium superiori dignitate, i. debitam subjectionem, 2. honorem, 3. ministerium & obsequium, 4. debitam & fidelem officiorum præstationem denegans, item ingratitude, quod vitium efficit



ficit, ut non agnoscat beneficium is, in quem collatum est, sed plane ejusdem obliviscitur, nec, etiamsi potest, compensare studet. Insuper huc pertinet calumnia, quâ minus, & vitium aliud *ἀνώνομοι*, quo plus justo alicui & quidem pari tribuitur.

XXIV. COMMUTATIVÆ EXTREMUM est illa injustitia, quæ consistit in fraudibus, dolis, & machinationibus circa contractus frequentissimis, ita, ut vix cogitari, nedum numerari vel methodicè hic possint proponi.

### MEMBRUM III.

*Ἐνασθηλογία.*

I.

*An quis erga seipsum possit esse justus?*

Affirmatur hoc argumento: Quò reliquæ virtutes omnes referuntur, eò etiam refertur Justitia Universalis: sed omnes virtutes partim ad seipsum, partim ad alium referuntur, Ergo etiam Justitia Universalis. Major probatur: quia Justitia Univers. non re, sed ratione tantum à cæteris virtutibus differt; veluti Dn. D. Jacob. Mart. in Synops. Eth. p. 381. fatetur.

II.

*In distributione iniquâ, uter injustus agit; an is, qui plus distribuit, an vero is qui plus accipit?*

Si res absolutè spectetur, uterq; injustitiæ vitio laborat, si vero comparatè, cum scil. injustè distribuentem cum injustè accipiente conferamus, ille magis injustus dicitur, quippe iniquæ distributionis principium à distribuente pendet.

III.

*Utrum quis licitè possit rem ab alio minoris emere, quam valeat?*

Aut à sciente & consentiente mihi res venditur, & tunc salva Justitiâ commutativâ minoris emere possum: Si vero ex ignorantia & errore factum sit, Justitiæ commutativæ regula non patitur, ut emtio illa sit legitima, sed quod deest justo precio, venditori est solvendum.

IV. An



*IV. An jus talionis possit referri ad Justitiam  
particularem?*

Negatur: Neq; enim ad distributivam, quia nunquam in illa ita par pari refertur, ut jus talionis exigit, E. g. Si quis Patriam servaverit, quid contra à Repub. ut par referatur, suscipiet: neq; ad commutativam, quia & ibi non similia cum similibus commutantur, sed propter indigentiam diversa cum diversis, quod itidem jus talionis non admittit.

MEMBRUM IV.

*Ἀξιωματολογία.*

1. Precium non rei saltem, sed officii etiam dignitati (æstimatur autem officium ex arte, duratione, adjuncto periculo, modestia) respondeat.
2. In distributione præmiorum præsupponatur virtutis actio.
3. Quò excellentior est virtus, tantò præclarius sit præmium.
4. Quo factum est gravius & inhonestius, tanto debetur poena gravior.
5. Hinc crescentibus delictis exasperandæ sunt poenæ.
6. Volenti non fit injuria.
7. Æqualia non, inæqualia verò facile faciunt bella.
8. Nemo sciens & volens patitur.
9. Justo non est lex posita.
10. Non agas quicquam, de quo dubites, æquum an iniquum sit.
11. Æqualitas utriusq; rei non quantitatis, sed qualitatis & dignitatis spectanda.
12. Bonis non sunt attribuenda mala, nec malis bona.
13. Et bono viro majori danda majora bona.
14. Sic malo majori danda sunt majora non minora mala.
15. Pecunia quidem vincit omnia: attamen pecunia per se non bona est, nisi eadem bene utamur.

Sat de hisce, pro quibus.

Soli Deo Gloria.



n  
m  
q;  
n-  
od

ur  
o-

ena

fit.  
gni-

on

05 A 1649

ULB Halle 3  
003 778 746  



10/14











COLLEGII MORALIS  
EXERCITATIO XI.

De  
**JUSTITIA UNIVERSALI ET PARTICULARI,**

QUAM  
PRÆSENTE ET ASSISTENTE  
DEO solo & optimo Justitiæ fonte,  
*in famosissimâ Academiâ Wittebergensi,*

Sub  
PRÆSIDIO  
*Viri Clariss. & Eruditiss.*  
**DN. M. MATTHÆI Grosseri**  
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncti  
dignissimi, Fautoris sui summis honoribus  
prosequendi,

*Academici exercitij gratiâ ventilandam presentat*

DANIEL Rilmann FraWenst-Misn.  
*Ad diem 1. April. horis à 7. matut.*  
In Acroaterio consueto.



WITTEBERGÆ,  
Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno MDCCXXX.